DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

Hydrope Anasarca.

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS STORY,

ANGLUS,

REG. SOCIET. PHYSIC. ED. SOC. HON.

ET PRAESES ANNUUS.

Crescit indulgens sibi dirus Hydrops.

HOR.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ADAMUS NEILL CUM SOCIIS.

M DCC XCI.

Celsissimo Principi,

atque

Ornatissimo Viro,

CAROLO HOWARD,

DUCI de NORFOLK,

Haereditario Comiti Mareschallo Angliae,

Comiti de Arundel, de Surrey, de Norfolk,

&c. &c. &c.

non magis Genere illustri,

quam Virtutibus suis propriis,

spectatissimo,

hasce Studiorum Primitias,

summae Observantiae Testimonium,

sacras esse voluit,

THOMAS STORY.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

Hydrope Anaſarca.

INTER varios morbos quibus affligitur genus humanum, nullus forſan plus moleſtiae ſecum fert, frequentiorve occurrit, eo, cui nomen, in genere, *Hydrops* impoſuerunt Noſologi.

Cum vero pro variis in corpore locis, quae effuſus teneat humor, diverſa ſibi Hydrops conciliet nomina; horum praecipua ſummatim percurrere, operae pretium eſtimetur. Aqua, verbi gratia, in caput effuſa, *Hydro-*

cephalus appellari ſolet morbus; in thoracis cavum, *Hydrothorax;* in abdomen, *Aſcites;* ſin tela celluloſa, qua undique circumdatur corpus, affecta fuerit, *Anaſarca* nomine gaudet.

Ut de his omnibus ſingulatim tractem, perlongum foret; ad cauſarum ideo Anaſarcae inveſtigationem, medelamque, (quae equidem aeque fere caeteras Hydropis ſpecies referunt) diſſertationem hanc, quam, vobis LIBERRIMI PROFESSORES, perlegendam ſubmitto, reſpicere mihi propono; et hoc, non ſolum quia caeteris Hydropum ſpeciebus longe frequentior ſupervenit, ſed, quod etiam aliis nonnunquam praecurrit, vel cum iis conjungitur.

DEFINITIO.

Nulla tam accurata vel explicita, mihi videtur, nobis traditur, quam CULLEN definitio venerandi. Ecce! "Corporis totius vel "partis ejus intumeſcentia mollis, inela-"ſtica."

HIS-

HISTORIA MORBI.

Pedum atque talorum intumeſcentia, quam veſpere optime conſpicere licet, ſi per ſpatium ſitu erecto manſerit aegrotus, incipit hic morbus. Tumor hic indolens eſt, digitoque prementi cedit, foveolam tarde reſilituram, relinquens.

Morbo progrediente, ad femora, abdomen necnon, aſcendit intumeſcentia; thorax deinde, et poſtremo facies, manus, corpuſque immo totum afficitur. Tumor, pro corporis ſitu, ſedem mutans, nunc elatior, depreſſior nunc apparet; ſtando enim inferiores, decumbendo ſuperiores, magis intumeſcunt partes.

Leges has attamen, haud ſemper invariabiles ſervat. Tantum enim, nonnunquam diſtenditur cutis, ut, via ſibi facta, per poros ſtillet humor; ſin impervia fiat, in veſiculas, quae haud mora, diſrumpuntur, elevatur cuticula;

ticula; fluido autem diutius retento, ſanguinis circuitum per cutis vaſa intercludente, inducitur gangraena.

Functiones omnes nunc magis minuſve laeduntur. Ab initio morbi, urina, colore rubida eſt, et quantitate admodum parca redditur.

Sitis conſtanter urget; et, ut nitide canit Poëta:

Quo plus ſunt potae, plus ſitiuntur aquae.

Cibi necnon imminuitur deſiderium.

Alvus, per totum morbi decurſum, adſtricta plerumque eſſe ſolet; haud deſunt tamen exempla, in quibus accedit diarrhoea.

Tuſſis ſicca, frequens, cum dyſpnoea et anxietate, initio non raro, interdum non niſi ſub finem evenit morbi.

Arteriarum ictus, ſolito, frequentiores, et debiliores plerumque ſunt; nonnunquam vero, tardiores, magiſque inaequales, evadunt.

Cutis conſtanter aret; ejuſque adeo imminuitur ſenſus, ut, quandoque, inſcio etiam aegroto, ambuſtam fuiſſe audivimus.

Ab

Ab hoc tempore, ſymptomata omnia ingraveſcunt.

Miſerandi tantum aegroti convelluntur vires, ut, muſculi ſemet contrahendi poteſtatem, amiſiſſe videntur.

Aeger, adurgente ſpirandi difficultate, vix decumbere poteſt.

Febricula fere aſſidua, miſerum conficit; debilitaſque, cum gravitatis ſenſu, invadit.

Rebus ita ſe habentibus, celerior modo, modo tardior, progreſſus evenit morbi. Aliquando per ſpatium permanet longum, et vitam miſere protrahit aeger; nonnunquam febris lenta eum conſumit, vel comate, animique deliquio, invadentibus, morbo, vitaeque aegroti miſerandae, finem optanda imponit mors.

DIAGNOSIS.

Inter morbos, qui tantum Anaſarcam ſimilitudine referunt, ut difficilis eorum reddatur Diagnoſis, praecipui extant, *Polyſarcia*, et *Pneumatoſis*.

Ne autem in errorem incidamus, quo inter hoſce diſtinguatur morbos, ad ſymptomata ſubſequentia animum intendamus, ſolummodo neceſſe erit.

In *Polyſarcia*, tumor nunquam, ut in Anaſarca, digito prementi cedit, foveolam linquens; nec ſedem, cum corporis ſitu, mutat. Gradatim ſupervenit Polyſarcia, diaetam fere plenam ſubſequens; e contra vero, victus tenuis ac parcus, omni Hydropis ſpeciei corpus obnoxium reddit. Huic addas, quod Hydrope laborantis, pallida plerumque et exſanguis apparet facies, dum in Polyſarcia, colore rubicundo ſuffundatur. Nec urina, in hoc, ut in illo, diminuitur morbo.

Primo quamvis intuitu, cum Anaſarca confundi poſſet *Pneumatoſis;* accurate obſervantem, ne hoc fiat, crepitatio ſingularis quae frictione et preſſura percipiatur, tumoris necnon elaſticitas, probe admonet. In hac, (ut antea notatum eſt) in partes inferiores determinatur aqua retenta; in illa autem, tumor, utpote

aërem

aërem continens, altius tendit, ſuperiora petens; quod diſcrimen ſatis apertum reddit.

CAUSA PROXIMA.

In omne humani corporis cavum, vel interſtitium, ab arteriis exhalantibus, ſanitate perſtante, conſtanter effunditur ſeroſus vel aqueus humor.

Hic, non diu illic manere ſinitur, nec accumulatur, ſed per vaſa lymphatica, nulla fere cum intermiſſione, inde abſorbetur.

Unde conſtat, ſi major in membranam cellularem, a vaſis exhalantibus, effundatur quantitas, quam quæ tempore eodem, ab abſorbentibus aſſumatur, corpori toti, vel parti incidat Anaſarca: vel licet quantitas effuſa, ſolitam ſolummodo adaequet copiam, ſi tamen ullo modo interpelletur abſorptio vel diminuatur, tale oriri vitium, haud abs re foret judicare: vel denique, effuſio in membranam cellularem adaucta, abſorptione ſimul imminuta, Anaſarcae originem praebeat.

Triplici

Triplici modo igitur explicetur hujuſce morbi Cauſa Proxima.

Effuſione, ſcilicet, *praeter naturam adaucta.*

Abſorptione imminuta.

Vel denique, *Effuſione adaucta, Abſorptione ſimul imminuta.*

CAUSAE REMOTAE.

Hae in *Praediſponentes* et *Excitantes* probe dividuntur.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Praecipuae ſunt, quaecunque atoniam inducant generalem. Tales ſunt, diaeta tenuis, parca, et aquoſa; coelum humido-frigidum; vita ſedentaria; aetas ſenilis; hic quoque accedunt, evacuationes copioſae, crebraeque; pathemata animi deprimentia, ut metus, moeſtitia, et omnes hujuſmodi affectiones.

Liquorum ſpirituoſorum denique uſus immodicus, defatigatio, venus nimis culta, febres quoque, eundem producant effectum.

Causae Excitantes.

Haud ſecus ac Cauſa Proxima, tribus ſub capitibus complecti gaudent Cauſæ Excitantes.

Inter quas extat.

I. *Effuſio adaucta*, a cauſis ſequentibus pendens. Scilicet,

Vel ab Exhalatione aucta :

Vel a Saccorum, et Lymphaticorum ruptura.

1*mo*, Exhalatio autem aucta oritur,

α. Ab iis, quae recurſui ſanguinis venoſi reſiſtunt.

Si enim ullo modo, interpelletur, ab arteriis extremis, non niſi cum multa difficultate, tranſibit ſanguis, viribuſque eum propellentibus haud ſimul affectis, copia aquæ major ſolito evadat, neceſſe eſt.

Impedimenta talia a Cordis, Hepatis, vel Pulmonum, obſtructionibus ; corporis ſitu ; et venarum quarundam functione impedita, a polypis in ipſis exiſtentibus, aut compreſſione externa, tumoribus, &c. exoriantur.

β. A quantitate humorum aquoſorum, in vaſis ſanguiferis, aucta.

Cauſae jam enumeratae, nulla, in vaſis ſanguinem vehentibus, copia humoris ſeroſi, ſolito majori, exiſtente, morbum inducere poſſint. Ultima autem haec, caeteris adjuncta, certius movebit morbum.

Cauſa haec, a ſequentibus originem ducere poteſt: liquidis ingeſtis; partibus ſanguinis aquoſis, ab excretionibus interruptis, retentis; et a ſanguinis abſtractione, nam tali evacuatione non ſolum ſyſtemati atonia infertur, ſed etiam globulorum rubrorum et glutinis, ſimul cum ſero, magna abſtracta parte, illis, certius reparato ſero, humoris aquoſi redundantiam fore, nemo non intelliget.

2do, Ruptura Saccorum et Lymphaticorum.

Saccorum, fluidum aquoſum continentium, ruptura, Anaſarcam raro producit. Haud deſunt tamen exempla, ubi talem Lymphaticorum laeſionem, huic morbo in cauſa fuiſſe, plane apparet.

II.

II. *Abſorptio imminuta,* quae oritur,

α. Lymphaticis ipſis, vel eorum glandulis, obſtructis. Utrum vero haec Hydropem inducere poſſit, niſi cum aliis conjuncta fuerit cauſis, admodum dubium eſſe videtur. Cum enim lymphaticorum ramuli frequentes inter ſeſe anaſtomoſes faciant, unius, vel alterius etiam obſtructionem, abſorptionem qua fungi debent, multum interpellare poſſe, probabile vix apparet. Et ſi animos ad hoc attendamus, quod lymphatica, per glandulas conglobatas, haud ſemper tranſeant, harum etiam tumorem talem inducere defectum, vix magis veriſimile, videtur; quinetiam firmior redditur opinio haecce, ab obſervatione quae occurrit, glandulas, abſque ulla obſtructione, quae ad humoris tranſitum omnino per eas impediendum valeret, multum tumefactas fieri.

β. Inter abſorptionis diminutae cauſas, venarum obſtructio, in iis partibus quibus deeſſe lymphatica opinantur nonnulli, a venerando CULLEN enumeratur. Licet, non niſi ſumma

cum

cum diffidentia, quicquam quod tam insigni quam CULLEN admodum venerandi, auctoritati repugnet, proferam, hanc tamen omnino accipiendam opinionem, vix convenire videtur. Quamvis enim lymphatica, cerebro adesse nostro, vix pro certo teneatur, quippe quae haud demonstrata fuerunt, si tamen ex analogia quicquid statuere liceat, quo minus cerebrum humanum, haud secus ac aliae systematis partes, vasibus fruatur lymphaticis, nihil obstare videtur; praesertim cum in piscium cerebro, ab illustrissimo MONRO, conspecta fuerint haec. Addere quoque fas erit, quod glandulae colli conglobatae, non solum numero, sed etiam ex eo, quod in nonnullis cerebri morbis afficiantur, doctrinam hanc, in luce clariori, proferre videntur.

γ. A lymphaticorum atonia etiam, imminuta producatur absorptio.

Haec autem toni jactura, ab eadem debilitate universa, quae causam efficit praedisponentem, oriri potest.

III. Ad *Effusionem adauctam*, *imminuta* simul *absorptione*, nunc pervenitur.

Haec Hydropis caufa longe extat frequentissima. De hoc autem, largius dicam, nunc necesse vix videtur; cum enim, in capitibus jam fupra enumeratis, caufam utramque ut fingula occurrit, explicavi, hujus conjunctae, natura perfpicua omnino videbitur.

RATIO SYMPTOMATUM.

Horum primaria tantum, ut exponam, ducit animus: qualia funt, intumefcentia praecipue artuum inferiorum; foveola digiti prementis veftigium retinens; urinae paucitas, colorque rubidus; fitis; cutis arida; dyfpnoea et tuffis; pulfus debilis, frequenfque; ulcera, et gangraena.

Artuum, inferiorum praecipue, intumefcentia.—A fluido aquofo in membranam cellularem effufo, eamque elevante, oritur; aqua e-

† nim,

nim, vi gravitatis, ima ſemper petente, celluliſque inter ſe tam libere communicantibus, partes inferiores praecipue tumore affectas eſſe, plane ſequitur.

Foveola digito prementi cedens, et in tempus permanens.—Cum aqua effuſa, in vicinas partes effluere cogatur, cutis, liquore evacuato, preſſurae cedit, digitique veſtigium accipit; tonoque elaſticitateque amiſſa, pro tempore, haud reſilit, ſed depreſſa manet.

Urina parca, rubida.—Evenit urinae paucitas ex eo, quod ſanguis, partibus ſeroſis, a liquoris in membranam cellularem effuſione, orbatur; et partes ſalinae et oleoſae, nullum alium e corpore egreſſum habentes, in urina maxime accumulantur, coloreque rubido eam imbuunt.

Sitis.—A faucium ariditate oriri poteſt, et hoc, a partibus ſanguinis in telam cellularem effuſis, pendet.

Cutis arida.—A perſpiratione impedita induci videtur haec.

Dyſpnoea,

Dyſpnoea, tuſſis.—Si ſpirandi difficultas ſub initium morbi ſe oſtenderit, ſyſtematis totius, vel muſculorum et organorum reſpirationi quae inſerviunt, debilitati aſcribatur; ſin aliter, aquae in thoracem, vel in pulmonum rete celluloſum, effuſae; ſanguine enim quantitate majori ſolita, in pulmonibus accumulato, veſiculiſque aëriferis plus minus compreſſis, moleſtiſſima, difficillima necnon evadet reſpiratio. Ad tuſſis cauſam explicandam, in hoc morbo, eadem quoque teneat ratio.

Pulſus debilis, frequenſque.—Quamvis, in Hydrope incipiente, corpus totum frigeat, langueat, et a febre alienum omnino videatur; progredienti tamen morbo, febris adeſſe ſolet, unde pulſus ſolito frequentior, debiliſque evadet.

Ulcera, et gangraena.—Serum aquoſum, diu in membrana celluloſa ſtagnans, non ſolum diſtendit, ſed etiam acrius factum, ſenſim erodit cutem; cumque in partes illas flaccidas, et lymphae acrioris actioni tamdiu expoſitas, aëri

liber

liber detur acceſſus, gangraena ſubito ſupervenit; ſin aliter ſe haberet res, a perpetuo ſeri acrioris effluxu, in ulcera, curatu difficillima, degenerant partes hae.

PROGNOSIS.

A cauſarum ratione; ſymptomatum violentia, et duratione; aegri aetate, et robore, corporiſque conſtitutione, perpenſis; inſtituenda eſt haecce.

Si morbus, ex urina vel perſpiratione impedita, aut ab alia cauſa quae facile amoveri poſſit, originem duxerit; ſi haud diu perſtiterit, nec ſymptomata, (ut intumeſcentia, urina parca, ſitis, dyſpnoea, &c.) gravia fuerint; ſi aeger florenti fuerit aetate, corporiſque habitus, nec intemperantia, nec morbis praegreſſis fractus fuerit; ſpes ſalutis haud parva affulget.

Sin malum, ex obſtructionibus in corde, vaſiſque majoribus, viſceribus ſchirroſis, talibuſque morbis, quorum vel nulla, vel ignota adhuc

adhuc medela eſt, ortum traxerit; ſi ad ſpatium longum jam perduraverit, urgentibus ſimul ſymptomatibus; ſi annis oppreſſum, morbisque multis confectum fuerit corpus; tunc equidem in periculo maximo verſatur aeger.

Hiſque, de prognoſi traditis, animum ad medendi rationem intendam ſolummodo reſtat.

RATIO MEDENDI.

Conſilia hujus morbi medendi, tria eſſe videntur.

I. *Cauſas excitantes tollere:*

II. *Humorem effuſum evacuare:*

III. *Tonum ſyſtemati amiſſum reddere.*

I. *Cauſas Excitantes tollere.*

Si ad ea, quae in priori opuſculi hujus parte de variis cauſis excitantibus dicta ſunt, animum attendamus; quod in nonnullis harum curandis, ſumma adſit difficultas, clare apparebit.

bit.

bit. Sunt et aliae, inter caufas Anafarcae excitantes, ad quas removendas, nulla valent confilia, nulla valent medicamenta. Polypus in corde, vel offificatio valvularum ipfius, hoc fatis fuperque comprobant.

Si a fchirro hepatis vel alius vifceris pendeat morbus, quod nimis frequenter evenit, ut amoveatur obftructio, fummopere et imprimis dirigenda eft cura. Varia apud varios auctores collaudantur medicamenta; inter haec, prae aliis extant Mercurius, Cicuta, et Cryftalli Tartari, quorum ufu, eventum (rariffime quamvis) felicem expectari poffit medicus. Si igitur diu perftiterit morbus, et fchirrum adeffe videtur, ad haec, et Mercurium imprimis, fine dubio confugere debemus.

Si a fuppreffione ullius excretionum naturalium originem duxerit Anafarca, ut ad ftatum priftinum reducantur hae, curae nimis adhibere non poffumus. Cum vero de modis, quibus efficiatur hoc, fat large in fubfequente differtationis parte tractatur, plura, in hoc loco dixiffe fuperfluum omnino foret.

Sin ſaccus ullus, vel vaſculum, quod lege naturali fluidum aquoſum accipere, vel emittere debet, ruptus fuerit, parum admodum valet Ars Aeſculapia; niſi talis rupturae fuerit acceſſus, ut preſſura, vel per ligaturas vel per faſcias, parti laeſae ut convenit, applicetur.

Cum ab atonia ortus fuerit morbus, ad ea, quae ſub capite in quo de tonicis tractatur, complectuntur, conſilia, quo ad ſtatum ſanum reducatur ſyſtema, recurramus neceſſe erit; et ſimul, ei curae ſit maximae admoneamus aegrum, ut cauſas quae ad morbum inducendum valent, quam ſedulo vitet; qualia ſunt victus tenuis et aquoſus, vita ſedentaria, ebrietas iterata, venus immodica, &c.

II. *Humorem effuſum evacuare.*

Duplici modo perficitur conſilium hocce. Nimirum,

1*mo*, Aquam effuſam viis arte factis evacuando: Vel,

2*do*,

2*do*, Modo naturali, ſcilicet, earum partium actionem excitando, quarum liquores ſeroſos excernendo perficiuntur functiones, quo, humor hydropicus a propriis e corpore emunctoriis eliminetur.

1*mo*, Aqua autem effuſa viis arte factis detrahitur, Veſicatoriis—Fonticulis—et Puncturis.

Veſicatoria.—Horum quidem applicationem nonnulli multum laudaverunt Medici; dum alii, iis ſtrenue repugnant, ne, in partibus ab aqua diſtentis, naſcatur gangraena, nec immerito videtur, metuentes.

Fonticuli.—Hi quoque gangraenam inducere ſolent, ſed ſi hoc vitari poſſit, utiles admodum forent.

Puncturae.—Emiſſariorum artificialium, hae omnium efficaciſſima ſunt; aquam enim non ſolum citiſſime exhauriunt, ſed etiam partibus labem minorem inferre ſolent. In hujus remedii exhibitione, cura tamen adhibenda eſt

quaedam

quaedam. Si aqua effuſa, quocunque meatu naturali, evacuari poſſit, vix admittendae ſunt puncturae; ubi autem partium ruptura metuenda eſt, ad eas quam primum confugiendum, multo magis enim, poſt rupturam, quam poſt puncturam arte factam, gangraenae inſtat periculum. Quando humorem per puncturas evacuare ſtatutum eſt, haſce parvas eſſe, digitoque circiter duos inter ſe diſtantes, praeſtat; primum ſupra genu, dein, ſi neceſſe fuerit, ad partes inferiores gradatim et caute deſcendamus; quo enim longius a corde diſtent inciſiones, eo probabilior gangraenae redditur acceſſio; et in hac operatione ne venis, nervis, tendinibus, hiſque ſimilibus, inferatur injuria, quam maxime praecavendum eſt. Si gangraenae inſtent ſigna, medicamenta externa, ut fotus calidi, ſtimulantia, &c. interna necnon, Vinum puta, Cortex Peruvianus, &c. quippe quae maxime valent, quamprimum administrari debent.

2*do*,

2*do*, Excretiones ſeroſae excitantur, ab Emeticis,—Catharticis,—Diureticis,—Sudorificis,—et Sialagogis.

Emetica.—Cum vomitus ſpontaneus, partes hydrope affectas, ad abſorptionem nonnunquam ſtimulaverit, quin idem, ab eo arte inducto praeſtetur effectus, nil obſtare videtur; et ad hoc, in illo morbo, ſummo ſaepe cum beneficio recurſum fuit. Hic autem de emeticorum effectu agitur, non quatenus aqua e ventriculo evacuatur, ſed potius, quia, per validos inter vomendum corporis totius concuſſus, lymphaticorum actio promoveatur, et reſorptione peracta, per varios meatus e corpore effuſus expellatur humor. Morbo incipiente igitur, niſi horum uſum inhibeat Dyſpnoea urgens, efficaciſſimam fore horum exhibitionem, conjicere licet; utque effectus producatur optandus, potiſſimum valent Antimonialia.

Cathartica.—Copiam aquoſae materiae magnam, dum faeces per inteſtina tranſeant, ſecerni,

cerni, multa docet experientia. Hanc actionem igitur catharticorum ope excitare convenit, quo major ad inteſtina producatur derivatio, et hoc modo humoris magna e corpore evacuetur copia.

In claſſes duas dividi poſſunt Cathartica, in Acria ſcilicet, et Mitia.

Acria.—Multum in catharticorum acriorum uſu, Hydragoga quae vocari ſolent, olim confiſi ſunt Medici; hodie autem rarius praeſcribuntur medicamenta haec. Eorum enim uſum, praeſertim ſi longis exhibeantur intervallis, morbum augere potius quam levare, frequenterque repetitum, debilitatem inducere multam, docet experientia.

Celeberrimus Mead de catharticorum uſu in morbo hoc tractans, "Ubi fractae vires, (inquit) nocet vehemens per alvum purgatio; quo enim plus humoris e corpore ejicitur, eo major ipſius copia brevi in cavitates refluit." Cum vero eorum cauta profuit exhibitio, de iis quae maxime in uſu ſunt, mentionem facere,

haud

haud abs re eſtimetur; horum, Gambogia, Jalapium, Elaterium, Scammonium, praeparata e Mercurio diverſa, vel ſola, vel cum aliis conjuncta purgantibus, praecipua ſunt; ex his autem, Gambogiae, Jalapii cum Mercurio dulci combinati, plerumque praeſcribitur uſus.

Mitia.—Per annos nuperos, multum laudata fuerunt remedia, quae ſub hoc complectuntur nomine. Inter quae, Cryſtalli Tartari locum obtinuerunt primarium, et in hoc morbo, horum exhibitio frequens in doſibus magnis perutilis eſſe videtur, non ſolum alvo leviter ciendo, unde aquae copia profluit, ſed etiam quod, organa urinae ſecretioni inſervientia excitando, multum humoris noxii e corpore profluvio favet, promovetque, nec debilitatem, ut alia, aegroto inducit tantam. De hoc autem, ſub claſſe ſequente remediorum, amplius diſſeretur.

Diuretica.—In morbi hujus curatione, huc potiſſimum confugerunt Medici. Cum enim, ſanitate perſtante, quodcunque ſuperfluum eſt,

e

e corpore variis emunctoriis, variis modis, Natura expelli statuit; si hoc, a morbo, vel quavis alia causa, retineatur, summis niti viribus, sine dubio, debet Medicus, Naturae operationibus arte succurrere, ut sic ea perficiat consilia, quae sola praestare haud valuit. Cumque lege naturali, renes, liquorem tenuem et aquosum, a sanguine, dum vigeat animal, secernendi munere fruantur, et horum in Hydrope imminui videatur actio, ob humoris, qui per eos transire debet, in telam cellulosam depositionem, eos excitare et ad actionem quam maxime ciere decet, quo, hoc modo, qui fere efficacissimus large videtur, noxius evacuetur humor, et e corpore expellatur. Hoc ad efficiendum, maxime adaptata videntur remedia, quae sub classe jam dicta complectuntur, non solum quia ad urinae organa praecipue dirigitur eorum actio, sed etiam quod, caeteris paribus, corpus minus quam Vomitoria et Cathartica turbant, minusque aegros debilitate afficiunt. Unde fit, ut senibus, infirmis, et iis

D qui

qui mobilitate multa praediti ſunt, maxime proſint. Haud parum autem dolendum eſt, horum adeo incertos eſſe effectus, ut ſe, alicujus vel etiam complurium eorum exhibitione, urinae, quantum vellet, effluxum promoturum, nemo ſibi pro certo polliceri poſſit. Minime propterea tamen ab incepto deterrendum eſt. Cum enim intentati nobis medicamenti ignotae ſint vires, ſi hoc, aut illud, haud optatum produxerint finem, ad omnia quae prodeſſe pollicentur remedia, recurrendum eſt, donec, ſi fas fuerit, unum, quod ad noſtris favendum conſiliis videatur opportunum, inveſtigatum fuerit. Et hic ſubjunguntur remedia ea diuretica, quae maxime in uſu ſunt, et praecipue laudantur. Qualia ſunt, Scilla,—Cryſtalli Tartari,—Digitalis,—Nicotiana,—Colchicum,—et Sales alkalini.

Scilla.—Hoc, in Hydrope curando, remedium, ut diureticis pollens viribus, famam ſibi magnam comparavit. Ea maxime opportuna videtur doſis, quae ad nauſeam movendam

dam valet. In Nosocomio nostro, Pilulae e Scilla confectae, cum Hydrargyro conjunctae, maximo cum beneficio, adhibitae fuerunt.

Crystalli Tartari.—Horum nuper in Hydrope usus, optimum edidit effectum Exhibitione prima, alvum plerumque leniter cient, postea vero, urinae secretionem solum fere afficiunt. Quamvis horum, si in aquae copia large soluti fuerint, tam insigniter sese ostenderit vis diuretica, si tamen, parcius adjectum fuerit menstruum, urinae organa haud valde cient, et si secretionem hanc haud cito promoverint, ut tunc adaugere potius quam morbum allevare videntur, omittantur, praestat.

Digitalis.—Haec planta, in hoc morbo, nuperis annis, multum celebrata fuit, et ejus usum non raro magna assequuntur commoda. In ea autem exhibenda, magnopere cavendum est; capitis enim dolorem, nauseam, ventriculique constrictionem spasmodicam, saepe non nisi morte finiendam, usus ejus largior,

largior, inducere ſolet; doſibus igitur parcis, gradatim augendis, incipere debemus.

Nicotiana.—Hujus medicamenti effectus a Doctoris FOWLER obſervationibus ſatis promulgantur; quod multis demonſtratur exemplis; e caſibus enim nonaginta tribus e centum, urinam copioſe moviſſe notum eſt; hoc autem certius efficit, ſi prius vertiginis vel nauſeae ſupervenerit ſenſus.

Colchicum.—Medicamentum hoc, in Hydropis curatione, primum celebravit Doctor STORK; multiſque aliis laudatur Medicis. Famam autem ei olim largitam, immeritam fere omnino eſſe, hodierna docet experientia.

Sales Alkalini.—Hi, in hoc morbo, a multis egregie extolluntur; ſed cum ſupra de medicamentis aliis, quae his majorem in urinae profluvium ciendo vim poſſident, tractatum eſt; de his nunc ſermonem agere neceſſarium haud videtur.

Nuncque, obſervationibus de medicamentis urinae ſecretionem promoventibus, impoſito

fine;

fine; quaeritur, an liquorum potiones diluentium libere ingeſtae, in Hydrope admittendae ſunt? Quanquam, ut ſupra dictum eſt, non deſunt exempla, quae probant Hydropem, a liquoribus diluentibus, non ſolum auctum, ſed etiam ortum eſſe; tamen eorum uſum copioſum et liberum, omnino tutum eſſe, et plerumque ad morbum removendum maxime conferre, docet multorum experientia. Igiturque, cum haec res tantum notatu digna ſit, urinam cum liquore ingeſto, comparari operae pretium foret; et ſi urinae quantitas excretae, liquorem ſuperet aſſumptum, a diluentium uſu frequenti, ſpes haud parva malum relevandi affulget: e contra autem, cum per hydropicorum cutem nullus fere tranſpiret humor, unde fit, ut per vaſa cutis aqua ingeſta tranſire nequit, ad morbum potius augendum tendent, ideoque omni modo omitti debent.

Sudorifica.—Cum a perſpiratione obſtructa haud raro oriri videatur hic morbus, et nonnulla extent exempla, in quibus, ejus curationi

ſuccurrerunt

ſuccurrerunt ſudorifica, ad ea, procul dubio, confugere debemus. "Evocandus eſt ſudor (inquit CELSUS) non exercitatione tantummodo, ſed etiam in arena calida, vel laconico, vel clibano, ſimilibuſque aliis; maximeque utiles ſunt, naturales, et ſiccae ſudationes." Sudorem autem facillime eliciunt, Vinum Antimoniale, vel ſeorſum, vel cum Opio adjunctum, Tartarus Antimonialis, Pulvis Sudorificus, et Hydrargyrum, vel ſolum, vel cum aliis combinatum, &c. Cum autem ſyſtemati debilitatem inferre ſolent, iis, qui habitus ſunt mobilis, caute adhibeantur, neceſſe erit.

Sialagoga.—Inter haec, Hydrargyrum primario fruitur loco, quod nuper, haud raro, Hydropem ſanaſſe fertur. Non modo ſalivationem excitando, ſed etiam excretiones alias eliciendo, ſuam proferre actionem videtur hoc medicamentum; unde, ad corpus ab humore hydropico purgandum, maxime accommodari eſtimetur.

Nuncque

Nuncque consiliis his ad finem perductis, de iis generatim observandum restat, quod, dum maxime haec administrentur medicamenta, ut vel cum iis conjuncta, vel per se, propriis intervallis, adhibeantur ea, quae debilitati, utcunque illatae, obviam eant, tonumque systemati amissum restituant, renoventque, summi erit momenti. "Dum evacuationibus (inquit SYDENHAM) tentatur curatio, et vires aegri non permittunt, ut quotidianae fiant evacuationes, intermediis illis diebus corroborantia adhibere non improbat."

III. *Tonum systemati amissum reddere.*

Remedia, quae ad hanc indicationem maxime accommodata videntur, sunt, Diaeta nutriens,—Exercitium,—Medicamenta Tonica,—Frictio et Fasciae,—Balneum frigidum,—et denique Aer purus et siccus.

Diaeta Nutriens.—Haec quoque dum nutrit, concoctu facilis esse debet. Ad hoc consilium maxime accedunt, juvenum carnes animalium, panisque

panifque bene fermentatus; pro potu, Vinum rubrum aliis anteponendum liquoribus, fed fi hoc majori affequatur impenfo, quam quod aegri conveniat rebus, liquores fortes, Juniperi praecipue Spiritus cum aqua commiftus, Cerevifiaque Londinenfis, (Anglice Porter) ejus haud male fuppeditent locum; et aeger palato condimentis quoque indulgeat.

Exercitium.—Ad tonum folidis amiffum reftituendum, multum juvat motus, corporifque concuffio. Si admodum debilis fit aeger, in curru vehi debet; in hoc autem adhibendo cavendum eft; fi enim nimis validus fuerit motus, vel longius jufto protractus, in pejus ruerent omnia, et ex eo, quod recte adhibitum, maximo foret beneficio, ufu incauto, fumma inferretur injuria. Sin ferre poterit aeger, ambulandi exercitium aliis multum praeferendum; folidorum enim non folum adauget tonum, fed etiam humores circumeuntes per varias corporis partes aequaliter diffundit, perfpirationem et fecretiones alias, maxime ciet, promovetque.

Medicamenta

Medicamenta Tonica.—Horum exhibitionem et ufum, Medicus, Aeger nec non, diligentia fumma obfervare debet; quia hujus, eventu eorum felici, falus, illius, ftabilitur fama. Praecipua funt, Cortex Peruvianus, Chalybeata, et Amara. Ex his, cum multis aliis, formulae, ut aegri res poftulent, infinitae componantur. In horum autem exhibitione, dofibus incipiendum eft parcis, quae, donec fyftemati reftitutus fuerit tonus, gradatim augenda funt.

Frictio, et Fafciae.—Frictio cum panno laneo, calefacto, faepe repetita, multum commodi adferre folet; ne autem remedium tam fimplex aegro (quod equidem nonnunquam accidit) contemptui fit, partefve excorientur, cum oleo fimplici, vel camphorato, inungantur. Frictionis effectibus multum favet lenis cum fafciis compreffio, quippe quae ad fibras laxas fuftinendas, praecipue fi una vel altera tumefacta fuerit pars, potiffimum valet. Ne autem preffura ad partes fuperiores arctius applice-

tur, adhibenda eſt cura; ab hac enim incautius admota, infeliciſſimus haud raro aſſequitur eventus.

Balneum Frigidum.—Remedium hoc, tonicis maxime quod pollet dotibus, inſigni cum beneficio, ſaepe numero in auxilium evocatum fuit. In hoc equidem morbi ſtadio potiſſime valet, et ad vires ſyſtematis jam ex maxima parte reſtitutas, penitus confirmandum, inter efficaciſſima rite habeatur remedia.

Aer purus, ſiccus.—In morbis hydropicis levandis, multum ab hoc beneficium oriri conjicere licet, praeſertim cum in aere humido, impuro, valde in ſtadiis ſingulis ingraveſcere hujus morbi ſymptomata compertum eſt.

Dum maxime haec adminiſtrantur remedia, quae tonum ſyſtematis amiſſum renovare, corporiſque vires penitus confirmare pollicentur, ſecretionum ſeroſarum, perſpirationis praecipue et urinae, adnotetur ſtatus neceſſe erit; et, ut eae promoveantur, medicamentorum opportunorum applicatione et uſu perito, ſi opus fuerit,

fuerit, juſtaque ſuſtineantur ratione, ne recurrat morbus, omni modo praecavendum.

Nuncque diſſertatione ad finem perducta, me ingratum omnino judicem, ſi, hac prolata occaſione, Patri meo gratias non redderem; cujus indulgentia et attentione, tot tantaque mihi enaſcuntur commoda. Sub ejus auſpiciis enim, primis imbutus ſum medicinae principiis; eoque ducente, ad ſummos in Arte Apollinea honores attingere datur. Cui igitur plures ſolventur grates? Publicum hocce teſtimonium ergo, ad quod animus omnino gratus, tuorumque beneficiorum quam maxime memor impulit, accipias, Pater optime, precor,

Vale!

FINIS.